De Caneri Proxima Causâ.

Dissertatio,

Quam Petrus Antonius Perenotus,
In Regia Taurinensi Academia
Collegii Chirurgici Socius,

Præstantissimis Viris,

Regiæ Parisiorum Academiæ Chirurgicæ

Sociis,

D. D. D.

ACADÉMIE NATIONALE DE MÉDECINE

ARC 21 d. 1 n° 27

De Curia Procuratoria Curiae Dispertatio.

De Cancri Proxima Caussâ. 1.

Quamquam a peritis Chirurgiæ Cultoribus Cancer quandoque sanetur, quod amputationis ope utplurimum fieri apud Auctores intelligo; ipsum tamen, quotiescunque amputatio inhibetur, aut ipsa post ablationem renascitur, fere nullam vel sperve curationem, experientia hucusque comprobavit.
At, undenam hoc, nisi ex eo quod ignoretur ejus proxima Caussa? Quis enim, inexpugnatâ Caussâ, poterit effectus removere? De hac aliquot extant cum Veterum, tum Recentiorum quorundam sententiæ, quæ quidem omnes eò tendere videntur, ut patefaciant pravam Cancri indolem: attamen, quum per eas nondum perventum sit ad illa evolvenda de Cancro phænomena, quæ et Arti lumen adjicere, et Artem ad suum attingendum Scopum ducere, si rectè intelligerentur, valerent, impedimento non erunt nobis, quominus proximam Cancri Caussam, investigatu quidem difficillimam, ulteriùs inquiramus.
Ipsos plane consilio, nempe ut opus hoc arduum, ac perdifficile veritatis amore adgrederer, in hanc Florentissimam Academiam eò libentiùs accessi, quò vestra omnium sum certior humanitas: per quam, siquid boni dixero, gratus ero; sin futilia, et inania protulero, veniam obtinebo, neque nimiæ inuræ audaciæ notâ.

§. 1. Duplex in Cancro venenum existere, putrefaciens scilicet, atque corrosivum, provenuntiavit Hildanus. Ipsemet confirmavit Etmullerus, addendo præterea: hoc esse acidum volatile, insigniter corrosivum, de natura quasi arsenicali [a]. Junckerus non amplius venenum, sed corruptionem corrosivam, et putredinosam, quam modo seroso-lymphalem, modo sphacelose-ulcerosam, seu putredinoso-salinam appellitat, in Cancro considerat [b].
Alii, num acre cancerosum sit acidum, vel alcali, diligenter perquirunt; nonnulli, ut propiùs accedant Veritati, sales acidos, alcalicos, volatiles, aut fixos, muriaticos, vitriolum, sulphur, terram, et sexcenta alia congerunt, aquam stygiam animo effingunt, et hanc ponunt in Cancro pro illius proxima Caussa. Alii denique oculis lynceis observant vermiculos in Cancro stabulari, hosque cum ejus ortus, tum incrementi caussam esse statuunt.

[a] Chirurgia Medica Cap. 2. Artic. II. Membro IV.

[b] V. Conspect. Chirurgiæ Tab X. et XI.

§. 2. Has porro evulgatissimas Opiniones, si postremam tamen

ACADÉMIE NATIONALE DE MÉDECINE

excipiamus, a nobis penitùs repelli prudentia non patitur, quum vere adsit in Cancro et corruptio, quæ ex tristi, intolerabilique immo-tescit mephiti, et aliqualis vdendi vis, prout acris dolor punctorius et carnis, atque velaminum plaga demonstrant, sive alcalicis particulis, sive acidis, sive aliis quibuscumque, quod nunc non interest discutere, peculiaris hæc vis corrosiva sit tribuenda. Verum, ut ingenuè loquar, neque iis acquiescendum esse ratio suadet, quod exinde integra evui non possit quorundam phæno-menorum in Cancro contingentium explicatio, quæ multum Therapeja facessunt negotii, atque medicaminum vim eludere constanter solent, ac irritam reddere.

§. 3. Enim vero, admissis quantumlibet in Cancro putrefa-ctione, et vi corrosiva, quomodo in Cancro incipiente, qui, nisi Struma, Scirrhus, aut Lupia præcesserit, ciceris, aut fabæ magni-tudinem non superat, duritiem, inæqualitatem, colorem cutis naturalem, atque incrementum inde explicabimus, quin potiùs a doloris præsentia, et qualitate moniti, dicamus illum potiùs apertum ivi, quàm incrementum ceperit? At reponet aliquis: in hoc stadio adhuc tanta non est putrefactio, et vdendi vis, ut ulla sequi debeat Cancri apertio. Transeamus igitur ad alterum stadium, et Cancrum sævientem observemus.

§. 4. Sensim durum illud tuberculum increscit modo citiùs, mo-do tardiùs, et mirandam quandoque acquirit molem. Duritiei, - asperitas, et dolor, qui punctorius est (§. 2), augentur; calor in parte auctus subsequitur; cutis naturalis color in ativo-ruben-tem, plumbeum, vel nigrum mutatur; ac venæ demum ativo sanguine turgescunt, livida apparent, atque fluviatilis Cancri pedum adinstar nodosa circumquaque fiunt; quod Cancri nomen huic morbo impertitur. Tunc Cancer ad ἀκμὴν suam perve-nisse videtur: attamen dum cutis adhuc manet integra, uti apud Græcos καρκῖνος ὑπόκρυπτος, sic a nobis occultus Cancer di-cendus est.

§. 5. In hoc stadio, nisi dolorem a corrodendi potentia, et cutis, venarumque fortassis livorem velimus a putrefacto sanguine repetere, nullam ulteriùs invenio duritiei, inæqualitatis, et tanti incrementi rationem, neque rationem intelligo, cur Cancrum, hisce omnibus stipatum caracteribus, tot annorum

spatio, illasis integumentis interdum gestari, uti observatione satis compertum est, putrefactio, et corrosio patiantur. Adverto tamen duplicis hujusce vitii effectus fore patentiores, quum Cancer ad tertium pervenerit stadium; quando non ultrò occultus, sed manifestus Cancer est. Tunc etenim ulcus adest crassum, maligunm, horrendum, foedum, atque summoperè foetens, cum virulenti humoris effluvio, et haemorrhagiâ: quod ulcus ab Auctoribus aut simpliciter Cancrosum, aut Lupus, vel Phagadena passim nuncupatur.

§. 6. Quid vero factum intelligamus, ut ulceris hujusce labra perpetuò sint praetumida, dura, verrucosa, et inaequalia? Cur non potiùs credamus partes molles a Cancro obsessas, putrefactione, et corrosione intervenientibus, ossium tenus consumi, ac destrui debere, uti pura sola corruptione in sphacelo contingere videmus? Num salibus exsiccatis, ut ajunt aliqui, debetur hoc phaenomenon? Haccine est salium in corpore humano proprietas, ut e statu fluiditatis, aut fusionis ad siccitatem, ut ita dicam, transeant, atque inertes evadant? Inertes dico, nam si vim exerunt suam, salium acidorum spiculis, et poligonâ aliorum figurâ omnes fibrae in Cancro existentes corrodantur, oportet, et tandem resolvantur ita, ut nullam amplius possimus in eo supponere accretionem, quin totum ipsum ex salibus, aut ex eorum cum terra, et sulphuris modico mixtione concretum absurdè credamus. Tum quomodo concipiemus, ubi semel consumtae fuerunt vasculares fibrae, eadem ex confuso, nimio, atque praeternaturali salium, terrae, et alius generis rerum adventu renasci posse tales, ut humorem contineant, qualis est sanguis, qui e vasculorum patulis orificiis erumpit, quoties Cancri superficies fricatur?

§. 7. Quidquid tandem de hujuscemodi salibus praedicent nonnulli eximiae doctrinae Viri, ex adverso pugnat Clariss. Joannes — De-Gorter, inquiens: „ Qui omne acre corrodens deducunt ex acido vel „alcali, hoc quoque conati sunt demonstrare in Cancro: sed quoniam „non extinguitur, aut mitigatur acre cancrosum applicatione acidi, „vel alcali, neque cum his effervescit, satis patet eam sententiam „ex inani hypothesi esse deductam [c].

[c] V. Chirurg. Repurgata Lib. XX. Cap. VI.

§. 8. Quod de aliis opinionibus hactenus dixi, idipsum, nequid in hac sententiarum disquisitione praeterire videar, dicam de Vermiculis. Isti nimirum gratis in Cancro admitti mihi videntur, quod animalcula ista mercurio, aut cujusvis rodentis applicatione necari, et contra istiusmodi vebus Cancrum exasperari audio.

ACADEMIE NATIONALE DE MEDECINE

Praeterquamquod, si existerent in Cancro audaces isti humani generis hostes, utpotequi ex hypothesi eximium vorando afferunt dolorem, et Cancrum adultum perducunt, carnem ubicumque depascendo, ejus impedirent morbosam exacerbationem.

Sed haec tandem missa faciamus, et Veterum simplicitatem sequentes, qui quaternarium humorum numerum in humano corpore statuebant, ex eorum altentro plerorumque morborum originem quaeritantes, videamus, ratione duce, et experientiâ, quisnam sit humor in Cancro praedominans, ut ipsius cognitâ, ac perspectâ naturâ ejus in posterum corrigendae methodus certa excogitetur.

§. 9. Ad hunc scopum considerandae potissimum sunt morbosae sanguinis, seri, et lymphae mutationes, ut signa ex iis huic morbo congruat, ea pro illius caussa adoptetur; sin contra, caussam alibi petamus. Jam vero sanguis in proprijs vasis redundans, et in vasa lymphatica irruens, inflammationem parit, atque in tentorem compingitur: quae inflammatio, si mollatenus resolvatur, vel sanguine in pus mutato convertitur in abscessum, brevi sanandum foras ejactâ materiâ in ejus cavo contentâ, vel scirrosam acquirit duritiem, quae laxantibus, et resolventibus simul adhibitis modo solvitur, modo tendit in suppurationem; vel tandem in corruptionem abit, tunc vero, neglectis iis, quae gangraenam sistere, et sphacelum praecedere valeant, brevi mora corrumpunt partes, quibus inest corruptio, labefactantur, putrescunt, cadunt. Ipse sanguis extra vasa ejectus, et in aliquo ventre copiosè coactus, ut in Empyemate, vel parcius congestus, ut in Ecchymosi, quoquomodo in pus, aut sanies mutetur, nunquam tantam praefert acrimoniam, qualem in vero Cancro observamus. Unde patet sanguinem in caussa non esse, cur Cancer saeviat in corpore humano, ac tandiu partes affectas exerucietur.

§. 10. Serum, et lymphan convalescere posse, cum membranas quae inter pulmonem, et pleuram praeter naturam inveniuntur, horum cohaesionem facientes, tum intestinorum cum hernioso sacco adhaesio, qualem in Kelotomia instituenda identidem observant Chirurgi, tum ossicula inter arteriarum tunicas reperta ut egomet ipse in aorta descendentis, et coeliaca trunco, atque in arteria emulgente sinistra, Vetulae cadaver Anatomicè speculans, vidi, tum denique ipsa lymphae alibilis usus aperte declarant. Verumtamen bini liquores isti producendis Cancri phaenomenis impares videntur: nemo enim ipsos, utpote

magnam habentes adjunctam aquæ copiam, acrimoniam adipisci canrosam satis probaverit. Quoniam igitur in liquore Cancri seminium latere credendum est?

An hoc in corporis nostri pinguedine, quam cæteroquin acrimoniæ temperandæ aptam esse consentiunt Auctores, invenire speravimus? Ita plane. Hanc equidem ipse fero sententiam. Hanc jam laudato Joanni Gorræo acceptam refero. Hanc ratiocinio tueri, observatione, et experientiâ illustrare pro viribus meis conabor.

§. 11. Re enim vera, nonne mulierum mammæ, quarum glandulæ multa circumdantur pinguedine, Cancro frequentius laborant, quam cætera partes? Porro, si quis adipem crederet hîc a natura uberius coacervari ad mulierum pectoris tantummodo ornamentum Naturam futilibus intentam crederet, cujus sapiens consilium ad solida vitæ commoda semper collimat. Adeps hîc multa adstruitur, fortasse ut aliqua ejus portio, lactiferos ductus permeans, lacti immisceatur (quod tamen affirmare non audeo), aut, quod certum est, ut pulvillo sit glandulis contra ictus externos, et illarum vasa, et involucra servet perpetuò flexibilia. Igitur, quum mammarum glandulæ Cancro facilius corripiantur post aliquam contusionem, satius erit credere, quòd Cancer ibi ex adipis stagnatione fiat, quàm laboratorium chemicum illico in glandula imaginari, atque chemici muniy Naturæ adjungere, ut materiam conficiendo Cancro necessariam paret, et animalis everset œconomiam.

Ne hæc dicentem aliquis fortè incusabit impudentiâ, sed ipsum rogo, sequentia mecum recogitet, sententurque diligenter.

§. 12. Nonne illa Cancro corripi solent organa, quæ ex infinito cujusque generis vasorum numero, et inextricabili textura componuntur, glandulas puta conglomeratas, et conglobatas, uterum, hepar, et similia, in quibus, tanquam in labyrintho, detinetur, implicatur, ac irretitur humor lentescens, congestionem facturus? Quid vero ibi citiùs, facilìùsque stagnabit pinguedine, quæ ex considerationis particularum, quæ in ipsâ, uti loquuntur Physici, extant ramosæ, hamatæ, uncinatæ, validam inter se cohæsionem servantes, omnium lentescentium humorum lentissima suapte naturâ apparet.

Nonne facies, quæ aëris contactui assiduè obversatur, sæpiùs infestatur Cancro? Quid vero in ejus superficie frigoris noxam magis suscipiet, quam humor sebaceus in cryptis collectus,

qui non exarnetur, sed potiùs in folliculo concresceat, et subsidebit?
§. 13. Huc accedit, quòd in partibus Cancro obsessis adiposum panniculum non modo supra ipsum Cancrum, sed ad magnam ejus distantiam pariter tumefieri experientiâ constet. In corporibus Cancro laborantibus ossa interdum nulla vi frangi, aut contra turgescere, et emollirì visa sunt. Et pinguium remediorum applicatione Cancri habetur incrementum, quæ remedia nudis ossibus applicata, vel vaporem propter calorem partis suscipiendo, vel medullosi olei exhalationem prohibendo, carnem producunt, vel productam augent. Dolor in Cancro sub solis occasum, nocturnus exacerbatur, perinde ac dolor osteocopus in Spina ventosa, et Syphilide, morbis ex vitiata pinguedine oriundis [d]. Hæc omnia, et alia, quæ nunc præterea, alibi fortasse dicturus, sententiæ meæ singulariter favere nemo non videt. Sed nihilominus perperam dicta sunto, ac temerè excogitata, nisi in corporibus Cancro maximè obnoxiis, nimirum in sedentariis, pituitosis, melancholicis, et senibus pinguedinem insigniter vitiari demonstravero.
§. 14. Verum, ne nulla rei me deinceps a suscepto argumento detorqueat hîc monebo, quanquam vos certè non latet, quòd oleum, et pinguedinem humani corporis naturalem suam temperiem aliquando amittere, tenacitatem induere, et corrumpi tam verum est, ut magnus Boërhavius in hisce vivis Venerem stabulari evidenter vidit, atque ex iis omnia Luis Aphrodisiacæ mala profici posse [e]. Plura hunc tantum Virum in hanc opinionem adduxerunt. Ego autem, si a proposito meo aliquandiu abstinere me licet, observationem vobis afferam, quæ rei veritatem cuivis probet, ac demonstret.
§. 15. Adolescens quidam, civis Taurinensis, bono fruens habitu, juris utriusque Doctor, et familiaris meus jucundissimus, incunte mense Octobri domi meæ me adiit, ut de morbo consuleret sibi nuper oborto. Penem protulit, glandem detexit, et quatuor, aut quinque superficiales maculas nigras, prope ejus coronam versantes, oculis meis subjecit. Fatebatur sponte se duos ante dies in Veneris castris bis strenuè pugnasse cum muliere, de cujus sanitate nihil suspicabatur antea: sed paullò ante suspitionis occasionem se nactum fuisse, quum Equitem Venerea infectum labe cum ipsa rem habuisse intellexerit. Ut hujus morbo ut ut levi consulerem, et alium majorem præpedirem, decoctionem Guaiaci, et Sarsæ pariliæ præscripsi, ad libras duas quaqua die quindecim dierum spatio bibendam, tum vini albi, et mellis rosacei mixtionem, qua sæpius glandem tepidè allueret, ac facilem

(d) Vide Joan. de Gorter Chirurg. Reform. Lib. II. Cap. II; et Herman. Boërhaav. aphor. de morb. oss. tum Tractatum De lue aphrod.

(e) Tractat. De lue aphrod.

aptanque dietam commendari. Hac vite executus abiit adolescens, sed diebus vix septem elapsis, ad me rediit, venque mihi præbuit videndam, quam fortasse nemo hactenus observaverit.
Inter penem, et scrotum pone raphen extabat durum tuberculum, avellanæ magnitudinem æquans, mediocri pungente dolore stipatum. E scroti autem superficie sudoris adinstar manabant guttulæ humoris oleosi, crassiusculi, et gravolentis, qui non secus circumposita linteola, et indusium tingebat, ac faceret olivarum corruptarum oleum, quive molesto illum, et acri afficiebat pruritu.
Tuberculum illud, et hanc præternaturalem exsudationem eximia titillationi, quam in uretra senserat, successisse ager tubum vetulit: unde imminentem gonorrhœam aliquam hoc iter extra movem successisse non immeritò judicari posset. Quidquid tamen sit, nihil ulteriùs ægro faciendum jussi, nisi ut jam præscriptam victus rationem, et bibendi methodum prosequeretur, atque ipsamet decoctione tepidâ foveret pudenda. Misce diligenter peractis, novemdecim dierum spatio convaluit magno scroti pilorum dispendio, qui omnes paullatim decidevant; ejusque facies, quæ aliquantulum expallescebat, speciosum denuo induebat colorem.
§. 16. Historiam hanc planè singularem tantis Viris me obtulisse sufficiat, quin, quæ inde copiosè fluunt argumenta perpendam. Hæc judicio vestro emenda malo relinquere.
Interea progredior ad perscrutanda generalia primum, deinde particularia pinguedinis phænomena, quorum factâ cum iis, quæ de cancro accidunt, collatione, vehementer fore confido, ut elucescat: Pinguedinem acrem, tenacem, et corruptam esse veram Cancri materialem causam.
§. 17. Sanus homo, qui bene est a Natura comparatus, et Dietam rite observat, parum adeò corporis habitum mutat, quoad obesitatem, ut in eodem semper statu illum perseverare dixeris. Quamobrem non temerè arbitrabimur oleosam in ipso materiem sive pinguedinem eadem proportione, qua ab arteriarum minimis extremitatibus in panniculi adiposi, peritonæi, aliarumque partium cellulis secernitur, et colligitur, inde protesto successivum novæ pinguedinis adventum iterum, et jugiter exire, ut pro suo munere ad omnes partes solidas fovatur, has penetret, irrigetque, ad flexibilitatem ipsis conciliandam, ad largiendam iisdem adnotum promtitudinem, atque præcavendos ipsarum attritus.
Sic ossa nullo magis abundant humore, quam oleo medullari.

Sic, quæ insignes motus edunt, et in girum aguntur membra, ossibus compinguntur cylindricis medullâ refertioribus. Sic eorundem membrorum musculis immensa interponitur, et superjacet, uti postissimùm observare est in clunibus, vesicularum adiposarum congeries. Sic ipsum etiam cor, cujus fibræ in perpetua versantur oscillatione, non pauca donatur pinguedinis quantitate.

§. 18. Porro iis, quæ ad Dietam pertinent, non rite comparatis, aliter evenit humano corpori. Etenim, quemadmodum per vitiosa cœli, victus tenuis, vigiliæ, exercitationibus, et reliquis similibus impeditur magna pinguedinis coacervatio, atque ab iisdem, quando exedunt, macies producitur: sic aeris frigidi, opiparo victu, somno protracto, et sedentariâ vitâ ejus copia magnopere augetur, et consistentia. Harum sanè vicissitudinum ratio non est alibunde petenda, quam vel ex actuali pinguedinis inopiâ in massa sanguinea, vel ex illius, in propriis receptaculis collectæ, nimia evacuatione ac deperditione: aut contrario modo, ex ipsius actuali excessu in tota sanguinis massa, vel ex ejus inertia, seu minimùm protractâ in propriis cellulis morâ. Agedum, videamus quomodo hæc omnia ex dictis rebus pendeant, sed præmittamus, ut rei ordo requirit: Pinguedinem suo functam officio a venularum quaquaversum hiantium osculis resumi, et mâ cum sanguine debere ad circuitum revehi majori sui parte, dum tamen illius portio aliqua, prout generalis humorum analogia monet, e corpore debet secedere.

§. 20. Itaque, quum ad restaurandum in solidis, fluidisque partium defectum animalis machina cibum pro præsenti semper postulet egestate, si victus tenuis est, parum hercle comparatur pinguedinis: Natura enim majori intenta operi ex eo id perficit, quod machinam tutiùs sustentet, et functionibus maximè necessariis exercendis idoneam faciat. Propter calidiorem aerem vero liquescit pinguedo, varescit, promptiorque fit consequenter cum ad evolandum extra corpus [§. 19], quemadmodum humor sebaceus e cryptis in cutis superficie sitis emanans [§. 12.], et oleosa nubecula aquæ supernatans, in qua manus sudore madentes æstate lavamus, innuere videntur, tum ad solidas partes irrorandas, præcipuè si opus adest, veluti in exercitatione, et vigiliâ, quando partes solidæ in actione perseverantes id necessario requirunt, quod ipsarum potest motum adjuvare [§. 17]. Hinc Rusticola, et Fabri, qui gravibus, longis, continuisque fatigant membra laboribus, nullam nanciscei videntur obesitatem. Hinc post frequentes,

violentas, et longas animalis circitationes, aut propter alius generis fatigationes, tum propter inediam vel ossa ipsa oleo medullari destituuntur.

§. 21. En inde ratio sufficiens defectus, aut saltem consumtionis adiposæ substantiæ. Misce viceversâ dictis, ratio innotescit ipsius abundantiæ: sed in hac examinanda lubet aliquantisper immorari, et quædam animadvertere, quæ meæ quammaximè suffragentur sententiæ.

§. 22. Quamplurima, quæ æstivo tempore emaciantur corpora hyeme obesiora fieri, nemo ignorat. Si a frigore poros cutaneos diximus adstringi, fluida condensari, ob eamque rationem in corpore pinguedinem, quæ aliàs egrederetur, detineri, rem satis explicasse opinabimur. Verùm, quum ex eadem pariter causâ imminuatur insensilis perspiratio, et sudor cohibeatur, atque Natura solertis operâ per aliam viam patentiorem, exempli gratiâ, per organa urinæ materies eliminetur, nimis simplex cuiquam videbitur allata ratio. Aliam igitur ad constantis adeò phænomeni dilucidationem ipsi addamus, oportet.

§. 23. Hyberno tempore corpora et magis esuriunt, et magis comedunt, et magis comedere ex Hippocratis, et Celsi sententia debent Libris itaque largiùs assumtis, et præsertim succulentioribus (hoc enim tempore carnibus potiùs, quàm oleribus vescimur), major fiat succorum humano corpori homogeneorum proventus, necessum est. Deinde, quod prætereundum non est, et ad rem nostram maximè facit, ubi succi adsunt debito abundantiores, solidorum vis vegetandi facilè superatur a redundantium fluidorum actione; et hinc oritur fluidorum motus vetabilis, quæ sæpe ansam præbet majori adipis collectioni, siquidem oleosus humor e vasis facilius separatur quiete, aut saltem immiuta arteriolarum hunc depromentium agitatione. Ipse nimirum id in arteriis fieri conjicio, quod pinguedinis secretionem, quod de alcohole, de vino rubro, deque oleo in vase vitreo cylindrico parum ampla diametri simul inclusis accidere videmus. Isti namque diversa indoles liquores, donec quiescunt, diversam pro diversa specifica sui gravitate occupant in cylindro regionem; si aliquandiu agitentur, et concutiantur, confusè adeò subiguntur, atque inter se misceantur, ut alterum ab altero distinguere vix liceat; sibi demum relicti, priorem locum constanter petunt, et rectè dimetiuntur.

[cf]. Hippoc. I. aphoris. 15. Cels. Lib. I.

§. 24. Ne hæc, amabo, temerè dicta cuiquam videantur, quandoquidem homines obesitati semel obnoxios, in quibus vasa, oleoso fluido minus malaxata (§. 17), et a cellulis adipe refertioribus ubicunque pressa sanguinis motum sinunt retardari, semper obesiores evadere quotidiana nos docet experientia. Senes etiam plerosque, in quibus functiones omnes, animales, vitales, et naturales declinationem assiduè patiuntur, eam, quam antea non potuere, adipisci videmus obesitatem. Et præterea capillares arteriolæ, adiposos folliculos subeuntes, sive propter magnam a corde distantiam, sive propter multiplices, quas passa fuerunt divisiones, propter curvaturas, amplexus, angulos, et propter minimam laxantis fluidi vicinam imbecilla naturaliter donantur reagendi vi, et nihilominus munus suum indesinenter præstant. Unde magis magisque perspicuum fit: tarditatem motus sanguinis adipis secretionem promovere, atque adeò adipis ejusdem collectionem, cæteris paribus, esse in ratione inversa velocitatis, qua sanguis propria vasa pervenit.

§. 25. Mirandum ideirco nemini quam est, si a diuturniore somno, ac vitâ otiosâ adipis incrementum pariter promoveri observamus (§. 16.); quum in corporibus somno, et otio indulgentibus pulsus tardus, et rarus plerumque deprehendatur, quod præsertim diebus et ab inactione solidarum partium, voluntatis imperio subjectarum, quæ dum agunt, fluidorum motum adaugent, dum otiantur, retardari patiuntur: et a particularum, quæ perspiratione debuissent eliminari, minùs opportuna retentione, quandam plethoræ speciem inferente, potest mutuo pendere. Neque verò dictarum rerum effectus hic sistere putandum est: alii enim adhuc se se nobis offerunt examinandos, quorum animadversione adipis collectionem non semper positivè, sed negativâ interdum sive privative percipiemus.

§. 26. Positiva adipis congestio mihi est, quæ ex copiosâ admodum in organum huic colligendæ destinatum, affluente oleosa materiâ, producitur: negativa verò, quæ potiùs oritur ab aliquali oleosæ substantiæ in propriis cellulis vel ubicunque extra vasa sanguinea stagnatione, et lentescentiâ. Illa citra ullum sanitatis periculum diù sustinetur; hæc neque periculo caret, neque secundum naturam est; ac, ut ex sequentibus constabit, vel universalis est, vel particularis. Ad rem veniamus.

§. 27. Imminutis universè solidorum robore, elasticitate, actione et oscillationibus vel desidiæ perpetuæ causâ, vel propter pleto-ram hinc (§. 25.) et alibunde (§. 23.), frigidâ præsertim existente atmosphærâ (§. 22.), oriundam; imminutoque ab invicem fluido-rum motu (§. 23. 25.), naturalis calor decrescat, necesse est. Ut defi-cit caloris gradus, qui ad rarefaciendam pinguedinem exigitur (§. 20.), ista non modo, ubi deposita fuit, initium permanere; verum etiam tenuiores sui particulas sensim dimittendo, crassitiem acquirit, et consistentiam, et tunc ipsa est sibimet-ipsi impe-dimento, quominus promtè e folliculis exire (§. 17.), quaquaver-sum diffundi, partes inutiles factas vejicare, ac reliqua portio-ne a venis (§. 14.) absorberi queat. Quæ res si pinguedini simpliciter contingat, dum adhuc in principali suo organo continetur, nihil extemplo efficere præter obesitatem potest: si autem ipsi eve-niat, quando per aliena organa (§. 11. 17.) iam vagatur, morbi initium est.

§. 28. Tale vero, quoties adest universalis pletora, pinguedini de-bet reapse accidere, siquidem, nihil obstantibus membranæ adipo-sos folliculos effingentis, inertiâ, et caloris, motusque mutuo de-cremento, ob successivè advenientis pinguedinis impulsu, ut su-perius (§. 17.) monuimus, aliqua semper portio illius, quæ jam cellulas occupat, egredi debeat; cui profectò non patebit in de-nas aditus, quum ista sint satis superque sanguine turgentes; quæve hâc illac lentè vagando, fluidioribus tandem orbata præ-ticulis, quiescat, acrimoniam acquirat, enicsarios quosdam cata-liculos obstruat, solida quaque laxabit, nervosas partes afficiet, tumefaciet membranas, aliosque sexcentos effectus contra ani-malem œconomiam exercere conabitur.

§. 29. Ex iis omnibus, quæ hactenus de pinguedine prædicavi-mus, brevem hanc, quæ memoriæ aptiùs adhæreat, constituere licet anacephalæosin. Adipis excretio (liceat mihi excretionis nomine uti ad designandum ejus e cellulis exitum) adipis, inquam, excretio, ut res naturaliter, et bene se se habeat, fieri quidem debet in ratio-ne reciproca secretionis, et hæc iterum, cæteris paribus, in inversa excretionis ratione (§. 17.); at, quum secretio fiat in ratione com-posita ex directâ ipsius in sanguine abundantiæ (§. 19. 21. 22. 28.), et inversâ velocitatis motus, quo sanguis per sua vasa progreditur (§. 23. 24. 25.); excretio vero fiat in ratione directa caloris, et motus (§. 18. 20.), quorum alter adipem rarefacit, dissipat, exhaurit, alter

ejus obstat collectioni; patet, quando aquæ major fit adipis secretio, ipsius excretionem aquâ fieri proportione haudquaquam posse. Igitur pinguedinis congestio erit in ratione compositâ ex secretionis directâ, et inversâ excretionis.

§. 30. Deinde, quum excretionis nomine non solùm adipis a suis cellulis exitus, sed ipsius pariter evaporatio, aut in venas reditus comprehendantur, quumque hæc duo, præsente plethorâ, vel pororum obstructione nullatenus obtineant: evidens est excretionem fieri in ratione inversa plenitudinis vasorum vasculentium, et exhalantium tubulorum, seu meatuum oppilationis; ac proinde hinc de causis contingere, ut oleosa substantia de suis receptaculis ejecta, diù extra venas pervagetur, iis adhæreat partibus, quas vix attingere debet, et alicubi demum, aut universè præternaturalem formet congestionem.

§. 31. Animadvertendum insuper est, quòd aliquando pinguedini particularum cruditas naturaliter adjungitur, tunc autem observationes supra allatas facilius adhærere solidis partibus, in iisque immorari. Medicinæ quidam Clariss. Professor, Historiæ naturalis, et Chymiæ peritissimus, dum simul de pinguedinis usu quondam disputaremus, sedulò mihi enarravit, Cetaceos numquam tam bene, tamque citò impinguari, quàm quum ipsis potus omnino subtrahitur. Si hoc est, quisque videt in illis sanguinis motum, quòd non sit sufficienter dilutus, torpescere, perspirationem imminui, et in corpora pinguedinem detineri, et coacervari, quatenus fluida satis non est, quo inde quaat abire.

§. 32. Præmissa hæc theoria facilem, et perspicuam nobis exhibet quorundam phænomenorum in corporibus vitam sedentariam agentibus, aut alicujus necessariæ evacuationis suppressionem patientibus, vel melancholica constitutione præditis, vel ætate provectis, contingentium explicationem. Hinc scilicet intelligitur: Cur homines nonnulli, solitudinem exactè servantes, postquam obesiores (§. 25.) facti sunt, universali virium prostratione, languore, tristitiâ, ignaviâ laborent, mortuisque interdum fiant concolores, pinguedine bonum sanum ordinem perturbante (§. 24.). Cur Virgines Monasterio perpetuò clausæ, aut quacunque de causa solitaria, et parum exercita, chlorosi corripiantur, viribus, et appetitu languescant, nauseâ diù crucientur, bonos cibos fastidiant, lateres, carbones, calcem, et alia absorbentia appetant, toto sæpe turgeant corpore, ita ut vel cachectosæ, vel obesiores

potissimùm in partibus inferioribus, et circa mammas appareant, et roseum faciei colorem, cutisque universa candorem commutent in pallidum flavescentem colorem adipis proprium, perinde ac evenit ex Syphilide, cujus virus in vitiata pinguedine creditur latere (§. 111.). Cur generatim sedentariis hæmorrhoidum, aut mensium fluxus suppressionatus (§. 25.), quo unâ cum humorum redundantiâ heterogeneæ noxiæ exulant particulæ, et iterum cum hoc intercepto, multifariàm aggrediatur morbus. Cur in melancholicis, quorum humores sunt universè crassi, densi, lenti, tenaces, tam frequenter appareant viscerum abdominalium infarctus, hypochondriorum, et glandularum universè obstructiones (§. 12. 30. 31.). Cur denique Senes in quosdam soleant incidere morbos, quibus fermè expers est vegetior ætas. Intelligitur, inquam, ut omnia uno verbo complectar, pinguedinem in hisce subjectis omnibus eo posse naturæ leges transgredi, ut ex illa ortum ducant pleræque ex iis infirmitatibus, quæ iisdem sunt maximè familiares. Atqui sedentarii, pletorici, melancholici, et senes pro cæteris cancro vexantur. Quousque igitur veram cancri causam proximam in adipe vitiata versari non fatebimur?

§. 33. Ut tandem ab universalibus ad particularia descendamus, quo unicæ propositionis meæ veritas magis, et magis niteat, hæc adhuc veniunt consideranda. Congestio adipis morbosa, quam in universo corpore fieri posse obiter diximus (§. 26.), et qua ratione fiat, breviter ostendimus (§. 26.), eo facilius in aliqua corporis parte formatur, ubi pletora sit magis manifesta. Hoc autem dico, ut pateat ratio, cur mulieres, menstrui fluxus suppressionem passæ, cancrum mammis vaticinent. Magnum, quod mammas et uterum convertium intercedit, manifestant cum earum inflatio, imminente mensium eruptione, tum ipsorum cessatio lactationis tempore, tum mammarum flaccidites post magnas uteri evacuationes. Unde patet pletoram a mensium suppressione apparentiùs fieri in mammis; et inde largior pinguedinis secretio (§. 23. 24.), aut saltem parcior ejus excretio (§. 24.) in ipsis congestionem afferent (§. 29. 30.). Ad hujusce rei exemplum observationem proferam, quam in tractatu quodam meo inedito, De ossibus præter naturam tumentibus, et cursis inscripto, exaravi.

§. 34. Dum avidè pranderet Senex quidam octogenarius obesæ constitutionis, qui in Sancti Joannis Nosocomio janitoris vices gerebat, cujus olim, nescioqua causâ, crus amputatum fuit, vitâ decessit.

Istius abdomen, et pectus, Medico vegante subitanea mortis causam investigaturo, aperui: quo facto, obtruncatorum cruris ossium cicatrices inviserâ desiderio tactus, partes molles circumjacentes anatomico cultro abstuli. Inter hoc faciendum, vidi quodam ictu salpelli os alterum obliquè resecui, atque fortuita incisione ista mollitiem ossa nacta fuisse edocetus, illa serio examini subjeci. Cfibulæ portiones tibiæ, et fibulæ eo molles ubique erant, ut nulla ni cultro discindebantur, exteriùs earum substantia immutata oculis apparebat, interius vero omnes cancelli, cellulæ, columnæ, et fulcimenta evanuerant, ut amplum reliquerint cavernata medulla spatium. Amplum dixi, nam duo hæc ossa diametrum habebant illâ duplo majorem, quæ integris alterius cruris ossibus erat. Eodem modo constitutum reperi femur, cujus substantia exterior neque durior, neque crassior erat recenti mali punici cortice, cujusve interior cavitas, septimentis, fulcrisque cavernis, maximam includebat medullæ columnam. Ex observatione ista, aliis neglectis illationibus, hoc tantummodo arguam: quod nempe sanguis, quæ determinatâ copiâ huc fervebatur, membro integro existente, non potuerit aliò detorqueri, ut a mutilatis partibus plethoram removeret. Hoc admisso, reliqua intelliguntur, præsertim cum addideris, quòd propter minorem membri illius motum, paulùm consumebatur olei medullaris (§. 20. 23. 25. 30.).

§. 35. Præterea pinguedo, quæ stagnando vitium aliquod, veluti crassitiem, tenacitatem &c. suscepit, si ad circuitum restituatur, neque tamen susceptam vitii notam deponat, gignendo Cancro apta erit, qui corporis partem quamcunque ex iis, quas supra memoravimus (§. 12.), indiscriminatim aggredietur. Idcirco in melancholicis non ablata humorum crassitie, et tenacitate, Cancer dominatur. Viget Cancer in iis, qui leguminibus, carne salita, fumoque indurata, aliisque siccis vescuntur dapibus, quod hæc agant in pinguedinem (§. 31.), et melancholicum temperamentum faciant. In senibus autem ex paullatim vitiata pinguedine manifestatur tandem vitus Cancrosum vel diverte in sana, et integra parte, vel in verruca, aut tuberculo jamdiù sine molestia gestatis.

§. 36. Hisce omnibus ita annunciatis, reliquum est, ut modò tandem deveniamus ad comparandos peculiares adipis effectus cum Cancri phænomenis. Quod antequam facio, sequentem

juvat historiam præmittere, ex qua plura fas erit conjicere, quæ sola ut ut eloquens theoria nunquam potest satis confirmare. Mulier sexagenaria, obeso habitu, ac temperamento sanguineo-melancholico prædita, a quinquagesimo circiter ætatis suæ anno, quo ipsi menses substiterunt, scirrhum ovum columbinum mole æquantem, inter umbilicum et dextram inguinem gestabat. Morbi hujus pertæsa, quod manus liberum exercitium impediret, quorundam Chirurgorum consilio illum filo serico circumligavit, perstrinxitque, ut a parte sana dimoveretur, atque decideret. Dolorem, quo antea expers fuerat, toto illo tempore, quo vinculum sustulit, eximium experta est, ita ut duodecim elapsis diebus, quum tumor in basi circumrosus iam fuerat, vinculum solvere coacta fuerit.

§. 37. Posthæc emplastris atrahentibus, ac suppuratoriis unguentis partem alternatim obducebat, tumoremque in dies cum dolore punctorio augescere experiebatur. Tandem levamen aliunde desperans, Taurinum petiit, quo ad S. Joannis Nosodochium confugeret. Ibi Cancri luxuriantis sævitiæ igne eodem obtundebatur, decidebat eschara, filis carptis modo siccis, modo antiseptico aliquo imbutis tegebatur ulcus, usquaquo duos post menses aspera, sed solida cicatrice aegra pars fuit obducta.

§. 38. Ad patriam suam æquo animo redit tuta vetula, sed octodecim prætelapsis mensibus, in cicatricis loco ulcus asperit, et monticulum elevari sensit, comitante dolore punctorio. Pluribus modo inertibus, modo pernitiosis remediis quinque mensium spatio ad sui medelam usa est, quibus exeuntibus eo iterum confugit, ubi inconstantem receperat curationem. Ulcus inæquale, et asperum erat, ad summum fœtens, sanie, et sanguine scatens, in pericheria inflammatus, et livescens, atque ad tres transversos digitos prominebat. Vena varicosa, integumenta ad antebrachii medietatem usque tumida, et dura. Membri amputatio necessaria judicabatur, sed quod illam æquo animo ferret infirma, operationem differre, et pluribus in casum uti per menses aliquot auxiliis oportuit. Quando postremo, æger permittente, antebrachium ad aliquam brachii distantiam resectum fuit.

§. 39. Tumoris statum sedulo examinatus, integumenta pristini sæni, et funiculum quendam turgidum, nodosum, alibi durum, flaccidum alibi observavi, qui ab ossa resecto ad cancri basin perveniebat, et cum ipso confundebatur, quemve distinguere

vix licuit utrum nervus, an tendo esset. Hunc juxta fibrarum longitudinem bifariam divisi, atque ipsum interpolatè nigrescere, aut livescere, hic spongiosum, illic compactum esse conspiciebam. Colores istos etiam in tumore observavi, qui tamen alicubi flavus, autrubellus apparebat. Ossa subjecta aliquantulum erosa, et nigerrima erant. Pinguedinea vero membrana quibusdam in locis infarcta dura, et fulva erat, et alibi foveas, sulcos, et sinus habebat præternaturales, qui ad cancrum usque extendebantur.

§. 40. Post amputationem omnia secundum Artem administrabantur, sed vix post quatuor menses inducta fuit cicatrix. Quin immo, dum pars mutila ad consolidationem accedebat, totum brachium inæqualiter turgescere, et axillares glandulæ augeri, ac dolere cæperant, quòusque tandem ista ulcerata fuerunt, circumposita integumenta insigni nigrore suffusa, et omnia uno verbo cancri symptomata hic summo opere sævierunt, quæ post sex menses generosam infirmam e medio sustulere.

§. 41. Quæ ex hac historia referri possint consequentiæ, passim monebo, dum cancri phænomena a vitiosa pinguedine oriri singillatim mox demonstravero. Esto igitur a cancri ortu ipsius historiæ initium.

Si vasorum sanguiferorum plenitudo, vel obstructio [§. 28. 33. 34.] aut emissariorum obstructio meatuum [§. 30.], aut vicissim particularum crassities, et densitas [§. 31. 35.] adipis excretioni obstiterint, hæc ibi non raro cogetur permanere, quò vel immediatè a sanguineis arteriolis, vel suis folliculis appulit, ibique congestionem formare [§. 27. 28.], quæ a nova accedente pinguedine, quam successivè removabitur, paullatim incrementum suscipiat. Hujusmodi congestio præternaturalis, sive fiat in glandularum tunica cellulosa, sive in cryptarum ventriculo, et emunctorio, sive in cellulis, amphiractibusque viscerum cujusquam, vel est exinitio cancer, si materiæ crassitiei accedat peculiaris acrimonia, aut hæc nullo pacto manifestatur, et, quoad materiæ acrimoniam non fuerit adepta, Scirrhum tantummodo efformabit. Sed, quum de cancro speciatim, non vero de scirrho sermo sit, hunc silentio brevitatis causâ præterire, et illum in aliqua ex iis glandulis, quæ in corporis superficie locantur, ad nitidiorem phænomenorum enucleationem considerare satius erit.

§. 42. Orta igitur hac lentescentis pinguedinis congestione,

dum ejus fluidiores particulæ minimulos quosque poros permeando evolabunt, crassiores tenacissimâ adhærebunt partibus, glandulam componentibus, et proinde glandula, quæ antea ob ingentem membranæ nervis, arteriis, et venis interpositæ cellularum numerum et propter membranæ hæc omnia simul cingentis, laxitatem mollissima erat, aut vix tactu distinguebatur, intumescet, fiet durior, et inæqualior, quia in ipsa cellulæ, et interstitia alia post alia occupantur, atque distenduntur a lentescentia, ac tenaci materia. Hoc est Cancri initium, in quo propter vaniditatem, quam a stagnatione sortitur adeps, pars incipit dolere perinde, ac si nervi lanceolâ pungerentur; sed cutis naturalem adhuc retinet colorem usquequo ad malignitatis culmen profecta cancrosa materies, ægram partem omnimode pervertat, atque deturpet.

§. 43. Verum enimvero, quò magis ad ἄκρην progreditur Cancer; eo deterior evadit glandulæ constitutio. Vasa, quemadmodum in ossibus caries laborantibus medullare oleum corruptum eorum lamellas disficit, corrodit que, nigrore etiam deturpat; quod insignem ejus ostendit acrimoniam, et nigrum colorem: non aliter pinguedo omnis, in cancer remorata, post diuturnam stagnationem magis magisque corrumpitur, vanorem nanciscitur accrimonium, et dum ejus pars fluidior membranas, nervos, et vasorum tunicas penetrat, dividit, ac tumefacit, pars reliqua maximè tenax, viva, et picea (perinde ac Veterum atrabilis adusta) in interstitiis relinquitur. Unde dolor in Cancro nigror, major asperitas, et aucta duritiei. [g] Conspect. Chirurg. Tab. Ia.

§. 44. Quod autem dolor interdum quiescat (sicuti Lancisius [g] monuit), hoc provenit vel a nervi compressi stupore, vel ex eo, quod nova minùs morbosa supervenientes pinguedo alterius acrimoniam aliquandiu obvolvat, occultetque. Ex quo ratio percipitur, cur Cancer, licet increscens, per annos aliquot occultus quandoque maneat, et deinde vursus recrudescat, quum ejus materia insuperabilem acrimoniam acquisierit. Dolorem istum sub vesperam, noctuque vigescere incidenter diximus [§. 13.]: Occidente enim Sole, atmosphæra propter sublatam aeris rarefactionem, et propterea quod aer plures contineat vapores, halitusque a Solis radiis interdiu elevatos, in terrestria corpora insigniter gravitat, animalium perspirationes repente imminuit, fibras quodammodo spasmodicè afficit, atque exulcerosas fluidiores, acriores que adipis particulas in Cancro remoratur. Noctu verò lecti calore

tumultuariè acta humoris corrupti particulæ, dolorem necessariò augere debent, quoniam majori vi in sentientes partes adiguntur.

§. 115. Etiamsi cancrosa concluya sanies ægrotantis glandulæ membranas, nervos, et vasa continuò discindat, nihilominus in Cancro eam nunquam sentimus fluctuationem, quæ in abscessibus constanter adest, neque ullam partis mollitiem; quoniam abscissarum partium extremitates statim ichore imbuuntur, tumescunt, et spatium occupant, quod propter fibrarum vim centripetam seu contractilem vacuum aliquin reliquissent. Morbosæ ac enormis ligamentorum, membranarum, tendinum &c excrescentia quando ipsis subjacet ossis caries, aut ipsis osseosa imprudenter applicamus, talem esse pinguedinis proprietatem luculenter probant. Quodsi exemplum requiritur ex aliquo peculiari Cancro petitum, in promtu est id, quod in prædicto Xenodochio observavi, dum adstantibus Praxeos Medicæ Clariss. Professore, et plerisque Medicinæ studiosis, mulieris quadraginta annorum cadaver incideremus quæ injecto medico lethalem Cancrum habuerat. Thoracis, et ventris visceribus in hac inspectis, examinanda restabant genitalia organa, de quorum intolerabili ardore sæpius conquerebatur mulier illa, dum febri lenta ad mortem ducebatur. Uterus visui incolumis apparuit; Vagina autem in parte anteriori a trium pollicum subter uterum distantiâ usque ad meatum urinarium tota exesa erat cum sibi annexa vesica, amba simul crassitudinem pollici æqualem efficiebant, summo inficiebantur nigrore, atque pestiferum factorem emittebant. Superstes vesicæ portio odore, colore, et crassitudine iisdem donabatur, atque intima ejus tunica villi eò exacerbarant, ut Virginis vaginæ asperitates, et prominentias omnino referrent.

§. 116. Propter tantum partium glandulam componentium augmentum venæ ampliores, si quæ adsunt, ipsam subeuntes, aut circumambientes comprimuntur, varicosæ, et a sanguine in ipsis concreto lividæ apparent, atque diversimode affici possibilitantur. Interim autem plures alios exercit effectus vitium cancrosum, quod ex provulis, et erosionibus involucri scatens, partim adjacentes venas bibulas ingreditur, et circulantes inficit humores; partim musculorum intervalla pervasit; nervorum tunicas, tendinumque vaginas pervertat, penetrat, spongiosas reddit, nigro inficit colore [§. 39.] atque exinde dolores longè a tumore causatum, vicinis glandulis malum communicat, longinquioribus minatur, atque portendit; omnem pinguedinem in itinere sibi occurrentem, in similem trahit corruptelam; foveas, sinus in membrana

pinguedinea excavat, hanc duram reddit, et ita disp̃sitam, ut omnis huc perveniens pinguedo in illa condensetur, subrideat, et illam gignat (§. 38.) inflationem, quam adenatosam nominat Junckerus. Quibus de rebus, licet a laba humorum massæ traditâ, Cancer deinceps possit diversas partes indiscriminatim grassari, siquidem ejusdem labis particeps fit vel ipsum medullare oleum (§. 13.); in regione tamen primùm obsessa facilius grassatur. Quæ enim pinguedo tenax, aeris, et nervis jota nervis, tendinibus, membranis &c. aut cuipiam glandulæ inhæret, ibi pro fermento stat perpetuo, neque ab ullo unquam superveniente naturali humore dissolvetur. Exemplo sit maxima difficultas, quam experiuntur Pictores, dum colorum materiam jampridem olei subactam, deinde libero aeri relictam, denuo rubigere conantur: vix etenim, aut ne vix quidem illam penicillo, ut antea, obtemperantem et ductilem reddere possunt nova olei additione, atque pistillo iterum et diù supra marmoreum planum circumducto. Tam pertinax, et valida evadit pinguium liquorum tenacitas! Quodsi adipis loco sales adessent, quis dubitat, quin longo post tempore ab accedentibus humoribus dissolvi, et abripi, aliò transferri, aut de corpore expelli possint? In hocce casu, tametsi in corpore permanserint, nullum amplius illis jus erit Cancrum in eadem regione rursus gignendi, unde semel inviti abierunt. adeoque nos ratio lateat, qua Cancer in labro inferiori sanatus, tribus post annis in faucibus resurrexit, scribente Petro de Estavchettis (h), aut ex brachio, ex mamma, ex cruria ablatus, in inguine, aut sub axilla ejusdem lateris, testante Experientia, suboriatur, at symptomata portendat pejora prioribus.

(h) Observat. Medico-Chirurg. Sylloge. Observ. XXIX.

§. 47. Denique pinguedinis congeries, quæ glandulam inter, et cutem posita est, cancrosæ saniei consociatur, ipsius auxilio cutem exedit, et tumorem in ulcus convertit, cujus labra elevantur, retroverruntur, a centro assiduè recedunt, et secundum peripheriam extenduntur. Pinguedo, quæ aeris contactum nunc patitur, in deterius profectò abit, veluti ossa denudata aeri exposita livescere, aut nigrescere cernimus. Ob hanc causam [opinor] tubercula quæque scirrosa, quorum materies pinguedo est [§. 41.], postquam vinculo (§. 36.), causticis, aut aliter irritata, et excoriata fuerint, cancroso charactere insigniuntur. Cancer itaque, ut memoria prodidit Lazarus Riverius (i), supra Vetulæ cujusdam zygoma, ex quo cornu decidebat, exortus, pinguedini videtur originem suam debere, quæ dudum sub cornu stagnavebat, et aeri deinde permissa, sæviendi nacta est occasionem. Ego quidem in melancholico septuaginta circiter annorum senem annosam verrucam, rasorio cultro excisam, cancrosam indolem naturam vidi, quæ carnem ossi zygomatico superpositam, et palpebram inferiorem malè affecit usque ad ægri obitum. Sursum autem

(i) Observat. communic. a Petro Estauver.

in medio nasi globulo, seu apice situm, unguibus consultò, crebroque avulsum in Cancrum exeravisse imminuere provectæ ætatis — observavi; qui diuturnis temporis stadiis aut siccus, aut fœtida scatens sanie alternativè apparebat.

§. 48. In cancrosa plaga, quòd nullus amplius obex opponatur, luxuriantur fibræ, atque omnes simul, aliæ magis, aliæ minùs evascentes, monticulum durum, et asperum construunt (§. 34.). Humores omnes cum pinguedine huc confluentes corrumpuntur, et cadaverican emittunt mephitim. Istorum, seu potiùs adipis corrupta vi corrodante fungosæ fibrarum extremitates abraduntur, liquefiunt, et una cum sanie diffluunt: unde venæ, et arteriolæ tunc hiantes sanguinem fundunt, donec earum extremitates demùm tumefactæ occludantur ita, ut nihil nisi humorem tenuem transmittant. Nervuli autem glandulam majori copiâ adeuntes, quàm cæteras ejusdem magnitudinis partes, vel solo aeris contactu dolorem suscipiunt, nedum manus, aut alius cujuslibet rei accessione. Neque eorum sensibilitati obstat, quod dixerimus eorundem tunicas a cancroso humore tumefieri, siquidem neque omnes nervorum funiculi hoc modo afficientur, atque anatomicorum industria microscopiorum ope tot in minimulo quoque nervulo detexit filamenta, ut, eorum pleraque integra permanere liceat conjectari. Quod ad livorem, aut nigritiem attinet, quæ ipsæ labra cutem non raro deturpant (§. 34.), ea ex concreto sanguine produci quidem videntur; sed quoniam hìc aliter, quàm in Ecchymosi, res est, et quoniam agrè imaginari possumus hujusmodi sanguinem ad quemlibet cutis punctum convivari, addere præstat, quòd humor Cancrosus per cutim serpens, hìc nigras, crassioresque relinquit molecolas, hosque expeditus serpere prosequitur, ut irritatione sua globulos sanguineos in vasa lymphatica ingredi cogat, quod erysipelatosam procreat inflammationem. Alia insuper, quæ Cancrum concomitantur universalia symptomata, febrim, scilicet hypothymias, syncopes, delirium, nauseam &c., partim a dolore, partim a circulante Cancrosa materiâ profluxisse fatebitur, quisquis lardi, aut olei cujuspiam rancoremi fames excoriantem et os asperum, et fastidioso amarore obruentem experientus fuerit.

§. 49. Quæ cum ita se habeant, ac nostra maximè interest, „Nosse quid in rebus Natura creavit ad Artem" maximè juvandum est, ut, quod antisepticum pro Cancri curatione inventum iri sperat Clariss. Pringle, illud ab iis rebus petatur, quæ adipis tenacitatem solvere, acrimoniam obruere, et putredinem profligare valeant. Camphoram hæc fortasse omnia præstare posse, cum ipsius aromatica indoles,

tum ejus cum oleis miscibilitas, tum vis, qua pollet, antiseptica illâ tercenties major (ut nuperlaudati Auctoris adstruunt Experimenta), qua sal marinus donatur, vehementer suadent; sed ad hoc confirmandum etiamnum experientia desideratur. Caeterum, Camphoram tanquam hæmenagogum ciendis mensibus, et erysipelati quoque curando, cujus causam proximam esse pinguedinem corruptam probat Gorterus (K), egregiè inservire nemo inficiabitur. Videant ergo, velim, Chirurgiæ Professores, quid in Cancri curatione præstare possit hoc antisepticum. Illius parva dosis ove sumenda identidem præscribatur, atque externè simul adhibeatur, ejus vapurà Cancrum aspergendo, si apertus fuerit: aut, si adhuc dum latens, excalefactâ farinâ triticeâ commisceatur camphora, addito salis communis pusillo, quæ sacculo inclusa aliquoties in die parti applicentur. Hunc camphorâ exteriùs utendi modo Erysipelas pertinacissimum viginti quatuor horarum spatio cessisse vidi in obesa muliere, cujus morbum Chirurgus quidam Germanus curandum susceperat, postequam septem diebus ipsum ineptè tractaverant minoris doctrinæ alii Chirurgi. Quod experimentum paullo post in robusto viro reiteratum, eventum sortitum est a priori non dissimilem. Et non dissimulabo tamen, quod in ambabus hisce curationibus Camphoram violenter egisse adverti; nam, qua proportione evanescebat inflammatio, in ejus medio surgebat tuberculum, augebatur, et mox dehiscens, saponaceum effundebat liquorem, qui condensatus crustam efficiebat, non nisi post dies circiter octo deciduam. Ne quid simile in Cancro eveniat, et ægrotantem lædat, Camphoræ usui præmittendum censeo decoctum guaiaci, cujus resina balsamica pinguedini consociabitur, ejusque acrimoniam emendabit, aromatica vero indoles tenacitatem solvet, diaphoresin, ac diuresin excitabit. Quanti emolumenti sit larga hujus decocti potio in Cancri Therapeja, sequens patefaciet historia.

(K) Cit. Opus. Lib. X. Cap. IV.

§. 50. Speciosa quædam puella, quæ ab illo, quo sororiari cœperat tempore, tumidulas mammas aeris noxa, at audacis amantium manus contrectationi frequenter exponebat, in earum altera Cancrum admisit, ac tribus mensibus tacita gestavit. Exeunte mense Decembri superioris anni, hoc ab ipsa vescivi, multaque percunctatus, sequentia intellexi: ipsam, videlicet, quatuor abhinc menses lumbari fluxui cœpisse, postquam animi angore, et tristitiâ quòd amasium sibi carissimum amisisset, perculsa fuit, paullò post clavos correptam fuisse, et glandulæ tumefactione in mamma, quæ post mensem unum cœpit dolere. Mammam contrectavi ac tumorem mediocrem, durum, et asperum, qui ex pluribus glandulis

mutuò latenliter junctis constare videbatur, distinctè sensi; ubi pro vero Cancri symbolo divus punctorius dolor misellam aliquoties torquebat a mammæ basi usque ad prominulam papillam. Quum audissem, ipsi propter capitis dolorem impedeveram paullò ante sectam fuisse, nihil amplius faciendum prædixi, quàm ut singulis diebus artus inferiores frictionibus exerceret, decoctum Guaiaci largis, crebrisque haustibus potaret, eodem sæpiùs foveret manum, ac cibos acidos, duros, crassos, et pingues evitaret. Huic methodo constanter obtemperabat puella, etsi initio malum exacerbari videretur, ego enim opinionis meæ tenax, ipsi animum addebam. Post decimam quartam a curationis initio diem dolor quiescere, ac tumor emolliri cæpit, post mensem unum insignem præseferebat decrementum, quindecim adhuc post diebus menses copiosi eruperunt, et exeunte secundo curationis mense mamma naturaliter constituta, et pristinus faciei color apparuit, neque ullo amplius, quod sciam, simili morbo ægrotavit æstuans puella.

Proh! Quàm bene hujus remedii efficacia ex eventu isto manifestatur! Quid ergo non efficiet, quando ipsi addatur evievaticus camphoræ usus? Fateor quidem prædictæ curationi non parum contulisse mensium eruptionem, juxta Hippocratis monitum, dicentis: Cancrum nondum ad summam ætatem profectum senescere, si menses solvantur [l]. Neque diffiteor, eodem tempore, quo proposita remedia administrabuntur, manum etiam Chirurgicam necessariam persæpe futuram, si pars cancro laborans insigniter detorpata fuerit, ac profundè corrupta. Id eo efficacem esse judico propositam methodum, ut vel Chirurgiæ removeat necessitatem, vel post operationem Chirurgicam recidivæ periculum auferat. In casibus verò difficilioribus, ubi ne ipsa quidem amputatio locum obtineat verisimile est, quod si morbum radicitùs curare expositis subsidiis non licebit:

" . . . . . requiem tamen inde morbo
" Fas erit, et tristem saltem mulcere dolorem.

(l) V. Lib. III. De morb. mulier.

Finis.

N°. 17.

Presenté le 14. 9bre. 1757.

M. Sorbier commissaire, pour le traduire et en faire son rapport